Quaestio Medica Quodlib. Disput. agitanda in Schol. Medic. die Jovis 15 Januar.

Doctiss. viro D. Henrico Blacuod D. M. Moder. prudentissimo.

An foetus octimestris vitalis? 152

Natura certo ordine definitisque motibus omnia ad aliquid perficiens, nostri opifex et conservatrix admirabili providentia unumquodque individuum condidit et praestantissima natura quasi sentiens esse animam proditum a toto corpore deciduum, postremi alimenti reliquias ex ambobus coeuntibus mare et foemella conflatum, mediocriter glutinosum, crassum, album, temperatum, et ita foecundum ex sua facultate insita dum in utero continetur sibi similem generare possit.

Quo fit ut simul cum bona temperie genitalium partium, laudabili uteri structura, prolis desiderio, convenienti concubitu, incipiente aut desinente menstruorum profluvio fiat conceptus uterique partibus assimilandus, tribus involutus membranis, quas a muliebri semine (a quo viriles tanquam proprio et familiari alimento nutritur et augetur) insiti spiritus beneficio generantur.

Spiritus autem ille insitus, sive spirituosus calor a seminis humido excitatus triplici spiritu a principibus partibus manante adjutus et impellitur, ut in medio conceptus rudimenta quaedam horum trium principiorum, hepatis, cordis, et cerebri (a quibus facultates cum rerum organis oriuntur) exhibeat, quae progressu temporis ita distinguit, ut unumquodque ad sibi solitum promoveat, facultatemque quoquoversum diffundat, partium spermaticarum (quae non regignuntur) lineamenta ducat, caeterarum denique fraudem simul aggrediatur.

Absoluto ita foetu et viribus facultatibusque praedito anima caelitus infunditur dum congrua mora (quae est tempus gestationis) maturescit, in qua sua specie et forma adornatus tempore tandem secundo robustior factus sumptum alimentum menstrui sanguinis dulcioris suavissimam et purissimam partem, per venas et arterias umbilico coeuntes (unde quatuor humores simul gignuntur) tanquam verus et legitimus non ut mola ad pariendi tempus conficit, calcitrat, movetur, et seipsum regit.

Tempus igitur huiusmodi uteri temperamento, seminis conditione, facultatis robore, vel imbecillitate, citius vel tardius ducitur, ut septimo mense qui principium est perfectionis, maturationis, et roboris, vel si sic viventis tum non exeat, nono qui gestationis perfectissimus terminus existit, vel octavo, in quo foetus si foras prodire tentet et se ipse debet imbecillior tum vero qui septimo mense in utero excidit motu, tum vero qui in partu fit, tum denique quod nondum perfectionem nactus in ipso enixu vel paulo post succumbit.

Ergo octimestris foetus non vitalis

Ponebat Catnotus Verbault Pontesianus. 1579.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Nicolaus Lambert.
M. Guillelmus Lusson.
M. Aegidius Heron.
M. Joannes Beauchesne
M. Joannes Riolan.
M. Joannes Hautin.
M. Petrus Bouget.
M. Marcus Myron prim. med. Reg.
M. Simon Veguyn.

BIBLIOTHÈQUE